

COMPOSITIONES CLXXVI–CLXXXI

trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quo facilius intellegatur, quid quisque sumpserit et qua ratione adiuvari debeat.

Ad cicutam

CLXXIX. Cicutam ergo potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur ultimoque praefocantur, qui sumpserunt eam, nihilque sentiunt. adiuvari autem debent in initiis vino mero subinde quam plurimo caldo et per se et cum pipere et cum styrace poto. ac maxime prodest lac asinimum datum: si minus, vaccinum aut quodlibet. oportet autem et alvum acri cylstere ducere eorum et extra super ventrem imponere farinam hordeaciam vel triticeam coctam ex vino caldam.

Ad opium

CLXXX. Opium potum, quod quidam meconium vocant, ab odoris gravitate intellegitur: papaveris enim viridis, cuius sucus est, qualitatem repraesentat. facit autem capitum gravitatem, gelationem et livorem artuum sudoresque frigidos manare. praeterea spirationem impedit, mentem soporat sensusque abalienat. adiuvari porro debent qui biberunt aqua cum oleo in unum mixtis saepius datis et frequenter reiectis per pinnam aut lorum vomitorium. prodest et vini cyathus et passi et olei cyathus eadem ratione datus, item vinum et acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eius mensurae, ita ut ista subinde cogantur recere. praeterea caput rosa et aceto sine intermissione curetur eorumque pedes adsidue fricentur manibus siccis aut linteo aspero involutis. prodest et sinapi ex aceto tritum circumdatum pedibus erubibusque et a somni tempore prohibere, ne obsopiantur.

Ad altercum

CLXXXI. Altercum, quod Graeci hyoscyamum vocant, qui biberunt, caput grave venisque distensum habent; mente abalienabuntur cum quadam verborum altercatione: inde enim hoc nomen herba trahit altercum; postea sopiuntur et omni sensu carent livescentibus membris eorum. adiuvantur autem lacte poto asinino quam plurimo vel quolibet